

nia suum finem assequantur, ut etiam cognoscatur quam gratuitus, quam admirabilis, quam supremus est ille finis, quam Dei proprius, quam humilibus pervius, quam superbis repugnans: ergo nihil contrarietatis, nihil supplantationis, nihil insinceritatis est in his duabus voluntatibus, quod scilicet velit Deus te intellectualem ordinare ad finem beatitudinis, te defectibilem permittere labi in æternos defectus cum exclusione a regno, omnes homines velle salvos fieri ut homines, et ex eadem massa tamquam supremus figulus facere aliud vas in honorem, et aliud in contumeliam. Utrumque nobis manifestavit Deus in Scriptura, nihil in occulto ad supplantandum fecit, aliter loquens, aliter operans. Quid miseri nos et limitatissimi homines volumus illud immensum pelagus iudiciorum Dei, nostra constricta, et incertissima providentia metiri, quasi sic faceret melius Deus, sicut nos cogitamus debuisse facere?

XXV. Ad tertium dicimus promissionem Dei quæ nobis manifestatur, esse de his quæ facturus est in executione nobiscum, non de motivo suæ intentionis: hoc enim non ad rem est in promissione. Omnis autem executio gloriæ sub meritis tamquam mediis fit; et ideo dum promittitur, sub eorum conditione promitti necesse est. Non sic intentio ipsa finis, quæ non sub conditione fieri debet, cum finis non sub conditione alliciat, et moveat, sed de facto causet, et finalizet. Jam vero quod dicitur de sollicitudine, et labore, quia hac ratione removeri videtur, hoc est armis Massiliensium nos impetere, quibus catholicum hominem armari non decet. Arma Goliath suspensa sunt in templo Dei, ab Ecclesia sunt damnata Semipelagianorum tela. Quid illa iterum vibramus, et in quos? Illi

in epistola Prosperi ad Augustinum dicebant: « Removeri omnem industriam, tollique virtutes, si divina constitutio humanas prævenit voluntates. » Non respondit Augustinus, dicendo quod non prævenit divina constitutio, sed supponit prævisas humanas voluntates, ut dicunt scientiæ mediatores. Nec nos id respondemus. Sed dicimus, prævenire Deum nostras voluntates, nec tolli sollicitudinem, et industriam, quia eam causat divina constitutio, et tamquam unum ex mediis præparat ad assequendam gloriam, sicut non tollit merita illa voluntas Dei, sed pro effectu habet, sic habet pro effectu nostram industriam, eamque requirit, ut a se causatam, non ut a nobis præsuppositam: est enim nostri interioris motus, et industriæ dominus, et auctor, et causa per modum causæ primæ, quæ non tollit secundam, sed dat nobis omnia, et sine quo fit nihil.

ARTICULUS V.

Utrum ex parte nostra detur aliqua causa prædestinationis?

In hac difficultate proceditur in prædestinatione secundum ordinem executionis, secundum quod Deus incipit disponere de mediis, et præparare illa ac dirigere ad assecutionem gloriæ. In hoc enim ordine inquiritur, utrum primum medium, et primum effectum prædestinationis Deus in exercitio det intuitu alicujus operis præsuppositi seu occasione alicujus ex parte nostra prævisi, aut præsuppositi, et ita ex parte nostra detur causa, seu ratio, aut motivum dandi primam gratiam, seu primum effectum prædestinationis.

I. Fuit antiquis temporibus valde celebris ista controversia, quia apud plurimos difficile valde videbatur,

quod Deus dona supernaturalia quibusdam daret, aliis denegaret sola sua voluntate, nulla ex parte eorum existente inæqualitate, aut meritum diversitate: hoc enim videbatur pertinere ad acceptationem quamdam personarum, ut expresse dicebant Massilienses, et refert S. Prosper in epistola ad Augustinum. Unde diversas vias aliqui excogitarunt ad assignandum quomodo ex parte nostra aliquid supponeretur vel attenderetur, ratione cujus moveretur Deus ad dandam gratiam uni præ alio, ut S. Thomas refert in hac quæstione xxiii, art. v. Quibus alii modi dicendi additi sunt a recentioribus hujus temporis, circa ea quæ ad efficaciam gratiæ, seu ut gratia prædestinativa sit ex parte nostra, requiruntur. Quæ omnia ut intelligantur, advertendum est, quod ut sæpe diximus prædestinatio est specialis providentia, tum ratione materiæ, quia circa rem supernaturalem versatur; tum ratione efficaciam, quia efficaciter transmittit ad gloriam, et de facto consequitur finem. Aliqui ergo conati sunt assignare causam nostræ prædestinationis, seu effectuum prædestinationis ex parte nostra respectu donorum supernaturalium, ut supernaturalia sunt, quasi Deus moveretur ad dandum huic præ alio dona supernaturalia, quia in hoc aliquid præ alio attendit ratione cujus donat. Alii vero conati sunt assignare ex parte nostra rationem, et causam prædestinationis nostræ quoad ejus efficaciam, ita quod ex parte Dei paria decernantur auxilia prædestinato et reprobo, et aliquando majora ipsi reprobo: tamen quod ista reddantur efficaciam præ illis, ex nostro bono usu, et consensu prævisio est, non sine gratia, sed cum illa. Ex quo tamen non parum aperiatur via illis primis qui volebant dari ex parte nostra causam,

vel occasionem, ut daretur prima gratia, et primus effectus prædestinationis, quia si ista collatio gratiæ et doni supernaturalis non est efficax, nisi supponendo aliquid in me, quod non in alio prævisum a Deo: ergo habet Deus sufficiens motivum ex parte mei, ut det mihi illam gratiam potius quam alteri, cum non modica occasio sit, nec parva ratio meriti, aut congruitatis, quod ego cooperaturus sum, et non alter, et talem determinationem, et consensum habiturus quod gratiam illam reddam efficacem, licet non sine gratia, non causante illam cooperationem meam, sed comitante. Et saltem quoad hoc quod est gratiam illam reddi prædestinativam, et efficacem, causam habet in me, et consequenter jam prædestinatio ut prædestinatio, seu ut efficax etiam quoad primum suum effectum quem nobis dat, causam habet ex parte mei.

Igitur illi qui assignarunt ex parte nostra aliquam causam, vel rationem dandi gratiam, et effectus supernaturales nobis, in quatuor præcipuas sententias divisi sunt, quas S. Thomas commemorat in hac quæstione xxiii, art. v.

II. Prima fuit error Origenis qui posuit animas hominum extitisse ante corpora, et justa merita vel demerita, quæ tunc habuerunt, recipere ea quæ nunc in corporibus sibi dantur. Ita habet Origenes lib. i periarcon, c. vii, et sequentibus, refertque ex eo S. Hieronymus epist. viii et epist. cxxxix. Cui affinis fuit error Priscillianistarum, et Manichæorum, qui afferebant animas humanas in cœlesti habitatione peccasse, et ob hoc in corpora dejectas, ut quid in hac vita varie, et inæqualiter provenit ex præcedentibus causis videatur accidere, ut refert S. Leo papa epist. cxxiii, ad Turibium Asturiensem episcopum,

c. x, et ex illo videtur accepisse, et damnasse Concilium Bracharense primum, c. v.

III. Secundus error numeratur a D. Thoma error Pelagianorum, qui dicebant liberum arbitrium sufficere per se simpliciter ad bene operandum, licet per gratiam facilius posset operari, aut etiam adjuvari postquam haberet bonam voluntatem, non autem converti a malo in bonum per ipsam gratiam, ut ex D. Augustino late in tertia disputatione retulimus. Unde gratia, et effectus supernaturales, ad prædestinationem pertinentes sequebatur dari nobis intuitu alicujus boni operis facti sine gratia tamquam propter meritum; et sic in nobis dari causam prædestinationis.

IV. Tertius error fuit Semipelagianorum, seu Massiliensium, qui asserebant nos quidem non posse sine gratia Dei opera aliqua bona facere, sed debere præveniri voluntates nostras ab ipsa gratia, ut aliquod opus bonum vel inchoetur, vel consummetur, sed tamen dicebant istam gratiam præcedere ex parte nostra, non opera, sed initia quædam operum ut fides, desiderium, oratio: quia istis operibus non medicinam habemus, sed medicum quærimus, et hoc saltem infirma natura potest ut quærat medicum, licet obtinere sibi sanitatem non possit. Hæc igitur initia, dicebant ipsi, in unoquoque prævidens Deus, dat quibusdam gratiam, seu prædestinationis effectum, aliis negat, qui hanc dispositionem non habent; et sic semper aliquid supponitur ex parte nostra, ratione ejus Deus acceptor personarum non sit. In parvulis autem qui hæc initia non habent, dicebant Deum salvare aliquos, et relinquere alios ex prævisione operum quæ facerent si viverent, prout latius retulimus supra disputatione tertia.

Ex hoc autem nascitur quarta sententia quam commemorat S. Thomas loco citato eorum qui dicebant Deum non propter aliquem bonum usum liberi arbitrii, qui ante gratiam aut sine illa præcessisset, sed propter bonum usum futurum post largitam gratiam moveri ad prædestinandum istum præ illo, et dandum ei effectum gratiæ, sicut si rex daret equos militi, et arma in præmium anticipatum futuri laboris. Quos s. doctor reprobat, quia distinguebant in opere, seu usu liberi arbitrii id quod est ex nostra voluntate, et quod est ex gratia seu influxu Dei, cum idem pro indiviso ab utroque principio sit.

V. Sequitur aliquorum catholicorum sententia, qui affirmant illam propositionem: Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam, intelligi de faciente quod in se est ex virtutibus naturæ, non quidem ratione alicujus meriti, quasi opus ex viribus naturæ factum sit motivum, vel causa dandi gratiam, saltem merito conditionati (nam merito congrui aliquibus antiquis theologis tribuitur quod senserint, opus factum ex viribus naturæ posse esse meritum congrui respectu primæ gratiæ) sed ratione pacti inter Christum et Patrem, quia sic cum ipso statuit ut cuicumque conanti ex se ad gratiam, daretur gratia infallibiliter. Ita Molina in concordia disp. x, qui in hujus pacti confirmationem explicat illud Joannis 1: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*: quomodo enim daret potestatem omnibus filios Dei fieri, si facientibus, et conantibus ex se ad gratiam non illam daret infallibiliter. Ab hac autem sententia non multum abest Vasquez, qui 1-2, disp. cxc, c. xi, n. cxv et cap. xii, num. cxxxii, docet opera bona moralia facta ante fidem, vel in peccato juvare, aut exordium præbere ad fidem, vel ad justifica-

tionem, quatenus sunt per Christum, imo ex eo movetur ad ponendum omnia opera bona esse per Christum, licet sint ordinis naturalis, quia possunt ad justificationem conferre. Et in hoc sensu aliqui docent sententiam hanc etiam apud antiquos valuisse quod facienti quod in se est viribus naturæ Deus daret gratiam, quia existimarunt opera naturalia bona ex libero arbitrio esse dispositionem ad gratiam, quod Scoto, Gabrieli, Cajetano, Soto, et aliis attribuitur. Sed hi auctores non fundant hoc in pacto infallibili Christi Domini cum Patre, sicut Molina, sed in eo quod habent illa opera aliquam rationem dispositionis ad gratiam, non tamen infallibilem. Alii autem recentiores illam Molinæ sententiam de pacto Christi cum Patre defendunt.

VI. In alio ordine assignandi causam prædestinationis ex parte nostra quantum ad id quod efficaciam est in prædestinatione, per extrema quædam videntur processisse illi qui fatalem necessitatem prædestinationi Dei tribuebant respectu actuum liberorum, et qui illam infallibilitatem illi tribuunt in vi causalitatis, sed in vi præscientiæ. Nam primi posuerunt efficaciam prædestinationis talem esse, quod nec pro causa, nec pro effectu respiciebat usum nostri liberi arbitrii, sed totaliter illum tollebat; et sic posuit Calvinus, qui totaliter a decreto prædestinationis nostram libertatem everti docuit. Unde sublata libertate, liber actus, nec causa prædestinationis esse poterat, nec effectus. Quæ fuit quondam hæresis Priscillianistarum, ut retulimus disp. iii, art. iv, qui fatalem necessitatem prædestinationi tribuebant, cujus erroris vitandi occasione Massilienses ab Augustino discesserunt, existimantes in idem conveniens incidere Augustini sententiam, qui

ponebat decretum Dei nostras antecedere voluntates, et infallibiliter ab eo duci, licet non necessario, et ideo, ut S. Prosper refert in epistola ad Augustinum dicebant: « Removeri omnem industriam, tollique virtutes, si divina constitutio humanas præveniat voluntates, et sub hoc prædestinationis nomine fatalem quamdam necessitatem induci. » Cæterum sicut tunc Massilienses ut evitarent errorem Priscillianistarum etiam ab Augustino discesserunt, ita nunc ad evitandum errorem Calvinii, aliqui in extremam aliam sententiam recidunt circa prædestinationem, dicentes efficaciam non habere ex se, et in vi causalitatis suæ, et antecedenter ad nostrum consensum, sed denominative ab ipso; et sic putant, quod providentia generalis Dei, quæ communis est reprobis, et prædestinatis, et de se non efficaciter inducit finem, ex sola adjunctione consensus nostri redditur efficax, et prædestinativa providentia; et sic licet ex parte nostra non detur causa prædestinationis, quantum ad donationem supernaturalis gratiæ, datur tamen causa quoad efficaciam, ut videlicet de facto efficax sit, quia ex natura, et causalitate sua sentiunt efficaciam non esse, sed ex denominatione extrinseca sumpta a consensu nostro præviso. Quem tamen consensum dicunt non esse Deo motivum propter quod istum præ illo prædestinet, sed Deum ex pura misericordia sua uti illa præscientia, quæ scit istum præ alio consensurum, ut det illi gratiam suam. Ita Molina 1 p. q. xxiii, art. v, disp. 1, memb. vi et xi, et alii auctores qui ipsum sequuntur. Imo videtur hoc consequenter poni debere a defensoribus scientiæ mediæ, qui existimant divina decreta ex se non esse efficaciam, sed ex præviso consensu nostro, a quo tamquam a conditione

dependet efficacia illa, et consequenter quod providentia sit specialis, et prædestinativa.

ERRORES REJECTI, ALLÆQUE SENTENTIÆ.

VII. Dico primo: Repugnat dari causam prædestinationis ex parte nostra, quæ sit causa, vel motivum, aut occasio, ut Deus nobis det illam. Quæ omnia nomine meriti includimus loquendo de merito, non rigore pro merito justitiæ, et æqualitatis, sed pro quocumque motivo, aut proportionem, vel occasione, unde Deus moveatur. Nam etiam Semipelagiani cum ponebant Deum gratiam ex meritis dare, seu ex aliquo initio nostro bono, non loquebantur de merito rigore tantum, sed etiam de eo quod se habet ut occasio: nam Cassianus qui ex Semipelagianis fuit, collatione XIII, refugit concedere quod gratia dabatur nobis propter merita, sed propter quædam initia, ut propter desideria bona, aut credulitatem, etc. quæ ipse merita esse non concedebat, ut patet illa collatione XIII, c. XIII et XVI, sed vocat ista initia occasiones quasdam, ut Deus det gratiam, ut patet in capite XV: « Præsto, inquit, est Deus occasione tantummodo nostræ voluntatis oblata, ad hæc omnia conferenda. » Ista autem quæ ipse vocabat occasiones, S. Prosper dicit merita esse in libro contra Collatorem, c. VI: « Nec enim, inquit, nullius meriti haberi potest petentis fides, quærentis pietas, pulsantis instantia. » Qui plane est sensus Augustini qui dixit epist. CV: « Neque enim nullum est meritum fidei, quæ fide ille dicebat: Deus propitius esto mihi peccatori. » Quare nomine meriti intelligimus etiam quamcumque congruitatem, aut occasionem, aut motivum, quod Deus acci-

piat antecedenter ad suam prædestinationem ex parte nostra, ita quod illud non sit effectus prædestinationis, sed det motivum, seu occasionem Deo ut prædestinet.

VIII. Conclusio posita fide stabilita est ex determinationibus Conciliorum, Palæstino, Milevitano, Arausicano II, præsertim a canone quarto et deinceps, ubi perpetuo definitur contra Pelagium: « Ut fateatur gratiam Dei non secundum merita nostra dari. » Et quæ Semipelagiani ponebant initia, et non merita etiam sub nomine meriti comprehenduntur ab istis determinationibus Conciliorum. Nam ut loco citato inquit S. Prosper contra Cassianum: « Velis nolis, convinceris gratiam Dei secundum merita dari, cum aliquid ex ipsis hominibus præcedere affirmas, propter quod gratiam consequantur: nec enim nullius meriti est petentis fides, etc. » Et Augustinus agens contra istos Semipelagianos, qui fidem tamquam initium, et occasionem dicebant præcedere, non tamquam meritum, etiam ex meritis dari gratiam, teneri dicere ipsos convincit, ut patet in libro de prædestinatione sanctorum (qui adversus Massilienses est editus) cap. II: « Quis dicat eum qui jam cœpit credere, nihil mereri ab illo in quem credidit? » (Utique merito congrui: quando enim incipit credere nondum est justificatus ut mereatur de condigno.) « Unde fit ut jam merenti cætera dicantur addi retributione divina, ac per hoc gratiam secundum merita nostra dari. Quod objectum sibi Pelagius ne damnaretur, ipse damnavit. » Constat ergo intellexisse Augustinum et patres, et consequenter Ecclesiam in suis definitionibus, cum damnat illam propositionem: Gratiam Dei secundum merita nostra dari, per ly merita intelligi non solum merita rigore, et de condigno, sed etiam

de congruo, et quascumque occasiones, seu motiva quibus Deus uti dicitur ad dandum nobis gratiam, et primum effectum prædestinationis. Sed ut omnis ambiguitas tolleretur, Concilium Arausicanum II, canone VI, expresse numeravit ista initia, quæ ad accipiendam gratiam Semipelagiani ponebant, et ea tollit, dum inquit: « Si quis dixerit, sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis misericordiam Dei conferri, resistit Apostolo, etc. » prout latius infra in probatione secundæ conclusionis referimus. Denique, Concilium Tridentinum idem definit sess. VI, c. V, dum docet: « Exordium justificationis nostræ desumi ex vocatione Dei, qua nullis eorum existentibus meritis a Deo vocantur. » Sed primus effectus prædestinationis est vocatio Dei ad suam fidem, juxta illud Rom. VIII: *Quos prædestinavit, hos et vocavit, etc.* ergo primus effectus prædestinationis nulla merita supponit quomodocumque illa vocentur sive occasiones, sive motiva, sive congruitates, etc. ergo nec ipsa prædestinatione, quia quando primum effectum dat, jam est prædestinatio, quæ causat illum: ergo si ipse primus effectus nulla merita supponit, neque prædestinatio, sed omnino gratuita est, juxta illud Apostoli ad Ephesios I: *In quo omnes forte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Si ergo forte vocati, et prædestinati, non utique ullis meritis præcedentibus aut occasionibus, vel congruitatibus: qui enim forte eligitur, omnem istam præventionem excludit.

IX. Ratio denique D. Thomæ hoc ipsum manifestat in hoc articulo quinto, nam vel illud motivum, seu occasio propter quam Deus prædes-

tinatio gratiam operatur, est aliquid præordinatum, et directum a Deo ad illum finem, scilicet ut detur gratia, vel non. Si non est ordinatum: ergo præter intentionem Dei, et casualiter, seu fortuito accidit; et ita non erit ex providentia Dei, quod detur gratia, seu primus effectus supernaturalis ipsius prædestinationis, quod est omnino detestandum. Et convincitur quod tunc non prædestinaret Deus, nec daret gratiam intuitu, aut occasione alicujus operis naturalis, quia non respiceret Deus ut meritum, seu ut causam dandi gratiam, id quod a se ordinatum non est ad talem effectum præstandum, seu talem finem. Si vero illud opus naturale est præordinatum a Deo, ut propter illud motivum detur gratiam, et prædestinet hominem; ergo illud motivum est ordinatum a Deo, ad vitam æternam, seu ad gratiam dandam, quæ est semen vitæ æternæ: ergo prout tale est effectus providentiæ Dei ordinantis efficaciter in vitam æternam; hæc autem est prædestinatio: ergo est effectus prædestinationis: ergo supponit prædestinationem; et sic non est causa, et motivum illius, nec est ratio primi effectus prædestinationis, cum ipsamet effectus sit prædestinationis; et sic ipsa prædestinatio respectu totius collectionis omnium suorum effectuum non supponit causam, et motivum.

X. Dices: Supponit causam respectu effectuum supernaturalium, et gratiæ, non respectu omnium effectuum absolute, sed unus effectus nempe naturalis, est motivum ad dandam gratiam. Et hoc sufficiebat illis hæreticis, quibus non erat cura an totius prædestinationis detur, vel non detur causa, sed an detur respectu gratiæ, ita quod gratia non omnino detur gratis. Et contra hos non probat illa ratio S. Thomæ.